Amicorum optime, Vir Nobilissime.

Paucis, quia ægrotus, absolvam: alias prolixior futurus. primò gratulor
tibi reditum prosperum ad tuos et tuam, et quævis prospera in futuro
conjugio apprecor, et longos in annos vitam ut cum tua transigas amici-
tus voveo. Cista tua una cum libris et tabula urbium jam iter ingressa,
et vellemus ut jam eas viceris: speramus de illis omnia bona. Nuper cum
adessem D. Sancti Jellus incidit inter nos sermo de remedio, quo calculum
tuum confringere allaboras: verum ille metuum sentit, et hoc remedii
genus valde periculosum existimat, et magnum inde tibi manere malum
judicat. nam urinæ retentio tam firmum jam calculum confringere
non poterit; imò potius in causa esset, quod ille magis magisque accres-
ceret. Quod magis est fibræ renum et vesica adeo distenderentur
ut illæ rupturam minarentur: unde brevi tempore, ulcera, febris et
ipsa mors subsequeretur. Et ne putes nos malè hic ratiocinari, ~~posse~~ possi-
bile nos exemplo magni Tychonis Brahæi clara erit. Hic n. cum urinam
intempestiva verecundia longius solito suppressisset, quod confessu protracto
aucta vesicam ita distendit, ut quasi luxata, posteaquam excreare volenti
amplius non obedivit. Hinc subsecuta Ischuria, et doloris vehementia, quæ
cucurbitæ instar, attracto sanguine, vesicæ phlegmonen induxit, quam illico
febris comitata continua, et ab hac lentiusculum exortum delirium, et
brevi inde mors. Hæc tibi ea prolixius exscripsi, ut à periculo caveas
et hoc experiri negligas. Neque n. vel renes vel vesica tantæ firmitatis
est, ut tantum onus ferre valeat. Quare parcas tibi et tuis. Nunc aliud
narrabo de quadam muliere, quæ diu infirma se ipsam sanavit bibendo
continuo calidam aquam, et filios ingentes fervefaciendo, quos tum
lateribus in lecto admovebat, unde copiosus sudor profluebat, atque
ita paulatim in integrum restituta fuit, nihil amplius medicamen-
torum (quæ plus satis sumpserat et multum nummorum iis consumpserat)
sumendo. Hoc exemplum plus satis confirmat tuum ratiocinium, et
notatu dignissimum est. inde n. videmus solum sudorem plus effecisse
quam omnia adhibita medicamenta. Nunc duo experimenta, quæ in me
ipso expertus sum, quæque clarissimè ostendunt differentiam somni à vigilia [vale]
Accidit 27 Septembris 1602. quod mihi videbar videre in somnijs ingentem
canem. Hic cum me advolasset, apprehendit condylum dextri brachii et
mordicus cum aliquanto tenuit. Hoc cum vidissem, clamore ab alijs
astantibus auxilium petij quidem, verum nullum persensi dolorem:
ac mox evigilavi: animadverti quidem generaliter omnium membrorum
tremorem, sed et ille subito cessavit. Sed hic notandum est, eum
temporis apud nos Eneceura fuisse, et ab amicis coactum ut viam